



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 75. Actum de rumpendo Fœdere prius inito

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæculi. XV.  
A. C. 1444.

in Europa subiecissent. Præterea ad Regem Ladislaum perscripsit, fidei, spon- sionisque Principibus Christianis factæ memor, & ipse cum suis copiis accurre- re festinaret, cum ceteri Principes, sua quisque auxilia jamjam præmisissent. Allatæ sunt pariter Joannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani literæ, in quibus ille idem belli negotium urgebat, significans, se non solum oblatas sibi a Turcis pacis conditiones repudiasse, sed etiam hostilia illis arma ultro intulisse. Ea enim, quæ ab Oratore Turcico in in- duciis promissa fuissent, merito suspectæ fidei esse habenda, & Turcas certe pro- xima occasione opportuna, neglecta ju- ramenti religione denuo arma sua in Christi fideles converfuros, nec omnino committendum, ut gloriosa initia non minus vecordi, quam criminosa negligenti- tia foedarentur.

## §. LXXV.

*Actum de rumpendo fœdere  
prius jurato.*

**H**is itaque intellectis, atque perpenfis, cunctos Principes rationum momen- tis devictos haud modica facti poeniten- tia incessit; cum clare eorum oculis ob- versaretur, quod totius Christiani orbis ludibrio, ac contemptui ob turpe hoc foedus

foedus sese exponerent, eoquod fidem suam prius obstrinxissent Eugenio Pontifici, Joanni Palæologo Imperatori, Græcis omnibus, simulque Latinis, qui omnes petita, atque promissa ab eis auxilia jam præsto habebant. Insuper animo suo volutabant, quod absque summæ perfidiæ nota ceteros Principes in discrimine, in quod eos pellexerant, lutantes relinquere haud possent. Præter hæc apparebat opportuna quædam rumpendæ concordiæ caussa, cum & ipsi Turcæ quorundam pactorum fidem haud servassent, eoquod nec captivos ad constitutam diem liberos dimississent, nec urbes ab eis occupatas reddidissent.

Sæcul. XV.  
A. C. 1444.

Phranz,  
l. I. c. 18.

§. LXXVI.

*Oratio Juliani Cardinalis fideles ad rumpendas inducias inducturi.*

Itaque Julianus Cardinalis Legatus, cum Principes suspensos hæerere cerneret, an inducias servare, an bellum restaurare satius esset, opportunam inde capiebat occasionem, ut magno animi ardore, ac eloquentiæ vi exercitus Christiani Ducibus, quid egerint, ante oculos poneret, „videtis modo, inquiebat, in quantum „malorum cumulum vos præceps consilium conjecerit, dum pacem cum infida „Turcarum Natione pepigistis, & violata

Bonfin. *ibid.*  
l. 6. dec. 3.  
p. 483. *edis.*  
Basil. fol.  
1568.